
















Justitia
TRACTATUS
DE
OFFICIO JUDICIS.
Authore
JOAN. BOURICIO.
Harlingæ Frisiorum,
Typis HERONIS GALAMA.
cIↃ IↃ C LXVIII.

TRACTATUS
DE
OFFICIO JUDICIS.
Et usu fori, in supremâ
FRISIORUM Curiâ.

AUTHORE
JOANNE BOURICIO, J. C.
Ejusdem Curiæ SENATORE.



HARLINGÆ FRISIORUM,

Typis HERONIS GALAMA. cIↄ Iↄc LXVIII.

PRÆFATIO.

QUI in veſtigandis rerum mutationibus ac momentis operam ſuam atque induſtriam collocant, mirari ſæpè ſolent, quonam fato eveniat, ut *juſtitiæ* ac *judiciorum* vigor, qui patrum memoriâ præclarus, atque ad invidiem vetuſtatis conſummatus extitit, nunc contrà, quaſi seneſcente ſæculo, & prodigiosè effæto, adeò torpeat ac flacceſcat, ut metuendum videatur, ne, quemadmodum beatâ & fæcundâ illuſtrium virorum ſuperioris memoriæ fæturâ, ad perfectionem ſuam pervenit, ita nunc, deficientibus in-

juriâ temporum literarum vindicibus, planè tandem concidat, ac contabescat. Causas hujus rei (uti solet in exaggerandis sæculi sui malis ingeniosa esse posteritas) alij alias assignant: multi nutantis universi defectum, & ruituræ potentiæ deliquia sibi fingunt, ut, cum nihil in hac mundi scænâ stabile uspiam, aut perpetuum sit, ipsa *natura*, quasi sterilis, totque ceu partubus lassata, multum nativi spiritus ac vigoris, mortalium ingeniis detrahat, atque absumat; Alij, non ingeniorum, sed ævi, quod vivimus, culpam interpretantur, cum spretis atque in exilium pulsis, honestis artibus, non vir-

virtutis aut eruditionis commendatione judices creari, ſed gratiâ & ſordibus, ancillante faſtu, & impudentiâ, ad ſanctiſſimum judicandi munus protrudi, conſpexere; Plures ad ſocordiam, & publicam temporum calamitatem reſpiciunt, eaſdemque cum imperiis vices tribunalia ſubire volunt, adeò, ut creſcente potentiâ, vigorem ſuum exerant & ſublimitatem, vel inclinante, deliquium promittant, aut ruinam. Inde factum videmus, ut, quoties *Reſp.* alibi ortas & auctas, alibi fractas & concuſſas legimus, ejuſdem quoque ſideris afflatu, *juſtitiam*, ſive vegetatam & florentem, ſive

ſive depreſſam & obſoletam cernamus: Nimirum, ita ſciſcente in tabulis fatorum ſupremo rerum moderatore Deo. *Qui ibi ſolet conſilia corrumpere, ubi fortunam conſtituit mutare.* Teſtis eſt *Romana Reſp.* terrarum olim, ac gentium Dea; quæ, ut *poëtæ* verbis utar,

Subdidit oceanum ſceptris, & margine cæli
Clauſit opes, quantum diſtant à Tygride Gades,
Inter ſe Tanaïs quantum Niluſque relinquunt.

poſtquam illa à priſcâ majorum virtute deſcivit, & lubidinoſum decemvirum dominatum admiſit, *juſtitiæ* quoque repudium miſit, reſque ſuas ſibi habere juſſit.

Tunc rupti faſces precio, ſectorque favoris,
Ipſe ſui populus, lethaliſque ambitus urbi,
Annua venali fecit certamina campo.

Se-

—— Senibus quoque libera virtus
Excidit, ſparſisque opibus ſubverſa poteſtas.

Ubi verò rurſus oculos attollere, & libertatem profiteri cœpit, relictis anterioris, & planè barbari ſæculi exuvijs, juſtitiam, ceu imperiorum cotem, ad uſum dignitatemque priſtinam, quaſi poſt liminio, reduxit; tantoque ſtudio & curâ eam excoluit, ut nihil in togâ aut ſago, foro aut luſtro, civitate aut cenſu, religione aut comitio, totâ denique hominum ſocietate, ordinè agi, peragi, pangi aut expediri poſſe exiſtimaret, niſi Ictus, isque divini & humani juris peritiſſimus, ſapientiſſimo ſuo conſilio, ceu oraculo, illud comprobaſſet:

Sic prætextato jam tum Cicerone vigente,
Laurea facundis ceßèrunt arma togatis.

Quod ſi tanta quoque hodiè, divini Numinis clementiâ, juris prudentiæ eſſet dignitas, profectò ſermo noſter in juſtiſſimas querelas diffundi non cogeretur; quis enim corruptam fori integritatem non doleat? Quis mimum & *Atellanas* illas, quas tanto ſupercilio ibidem agi videmus, non damnet ac deteſtetur? quis arbitraria judicum ſuffragia, ſubſellia potentibus obvia, miſeris obſepta, calumnias, injurias, prævaricationes, totam denique *Remp. Iudiciariam* tam inſigniter deformatam non deploret? Quis turbæ iſti pragmaticæ, quâ calet tribunal, roſtra

ſtra perſonant, non ſuccenſeat, quæ rudes linguas clientibus ſuis elocat, ut mercenariâ loquacitate, aliena patrimonia infami aucupio nundinetur? Nimirum, imperiis hœc debemus, ubi ad praxin hujuſmodi homines quæſtuarii admittuntur, qui nihil, præter impudentiam, in forum adferunt, neglectaque literaturâ cultiori, illotis quaſi manibus, ad hæc ſacra accedunt; Neque verò hoc ita quemquam interpretari velim, quaſi omnes promiſcuè *Iudices* & *Advocatos* perſtringendos mihi duxerim, agnoſco enim libenter in quibuſdam, ſolidam juriſprudentiæ cognitionem, rerumque foren-

 ſium

ſium notitiam, ſed de iis loquor, *qui lites ſerunt, ut ex alienâ ſementi meſſem ſuam faciant*, quos, quemadmodum vellem, uti foro excederent, ita nobis, qui in hac ſtatione ſub ſupremo Imperatore DEO, ſtipendia facimus, ſeriò adnitendum eſt, ut collapſa Iurisprudentiæ dignitas reſtauretur: Ita DEUS OPT. MAX. *Areopagum Friſiæ* noſtræ, quem palladium Reip. eſſe, illi vident, qui bono publico non invident, perennare, ac ad ſeram poſteritatem, antiquis viris & virtutibus auctum, transmitti patiatur.

DE OFFICIO JUDICIS.

CAP. I.

De Etymologiâ Judicis, & variis ejusdem appellationib.

AB Etymologiâ vocabuli, cum bono Deo, hoc opus auspicamur, quod in omni ferè disciplinâ factitandum suadet Ulpianus *in l. 1. ff. de Iust. & Iure.* Dicitur autem judex à jure dicundo, quod est judicare cum jurisdictione: idque judicibus ordinariis, sive qui cingulum habent, propriè competit, *l. 1. ff. de Iurisd.* cæteri secundùm præscriptam sibi formulam tantùm cognoscunt, & delegata negotia latâ sententiâ terminant, ideòque *in l. unicâ C. ne quis in suâ causâ judicet vel jus dicat*, judicare & jus dicere per particulam disjunctivam discernuntur. Esse nomen honoris, abundè testatur Imperator *in l. 2. C. de vet. jure enucleando*, ubi, quos hîc illustres, gloriosos, & excellentissimos nuncupat, eos alibi legum custodes, ac justitiæ vertices appellat, imo ipse gentium doctor Paulus, eos ministros Dei in bonum pronuntiat, armatos gla-

dio

dio justitiæ, ad coërcendos facinorosos, adde, quod in sacro codice benedicto servatori nostro JESU CHRISTO, officium judicis frequenter attribuatur, undè sublimitas nominis dignosci facilè potest.

CAP. II.

De Definitione Judicis, sive ejus descriptione.

Definitio Judicis:

AB Etymologiâ vocis, ad ipsam definitionem transgredimur. Est autem judex vir bonus, juris & æquitatis statuendæ peritus, ad judicandum secundùm leges & consuetudines rationabiles, publicâ authoritate donatus. Cui definitioni congruit ea descriptio, quam ponit Iustinianus *in principio tit. institut. de Officio Iudicis*, quod sit persona à DEO ordinata, ad judicandum, pro ut legibus, moribus & constitutionibus proditum est. ex quo apparet, ab hac primariâ dignitate procul habendos esse, quos scelus vitæ, seu morum infamia à bonorum cœtu segregat, *l. 2. C. de dignit.* quibus meritò annumerandi sunt, qui per fædas nundinationes, per sordes & ambitum, ad hoc honoris fastigium promoveri satagunt, *l. fin. C. ad l. Iuliam. Repet.* Scabinis item alphabeticis, noctis & ignorantiæ alumnis, hæc honoris porta patere non debet: non enim affectandum est illud, in quo quis intelligit, vel intelligere debet, imperitiam suam alii fore peri-

cu-

culosam, *l. 7. & 8. ff. ad l. Aquil.* Itaque manum, quod ajunt, de tabulâ, ne fortassis occinat ipsis infausta illa vox, quæ *Servio* Prætori à *Mucio Quinto* olim fuit objecta, TURPE EST PATRICIO ET NOBILI, CAUSAS ORANTI, JUS IN QUO VERSATUR, IGNORARE, *l. 2. §. 43. ff. de orig. juris.* Remum ducat qui didicit, sic emenso importuoso judiciorum æquore, ad æternæ tranquillitatis portum appellere tandem dabitur, ubi perpetua rerum malacia, atque ab omni tempestatum nube longè posita sunt alcedonia.

CAP. III.

De Officio seu vitâ Judicis morali.

QUemadmodum in omni homine Christiano; ita etiam in judice duo potissimum requiruntur, quorum primum ac præcipuum est, ut recte de DEO sentiat, alterum, ut honestè ac decenter vivat, nihil enim est quod clariore lumine præfulget, quàm recta fides in judice, nihil est quod ab insolenti motu, & pravis actionibus æquè illum continet, quàm si in ardore fidei, in devotione mentis, in integro religionis studio, inconcussâ animi constantiâ decurrat; certè, vera religio cultores suos in sublime provectos, tenerâ sollicitudine conservat, nec parva iis à clementiâ divinâ vicissitudo tribuitur, qui in determinandis causis,

ſis, non humanæ ſapientiæ bilance, ſed religioſæ pietatis trutinâ, non politicæ ſubtilitatis ſtaterâ, ſed Theologicæ ſinceritatis æquilibrio, conſilia ſua metiuntur. Deinde operam dabit judex, ut præcepta juris, quæ profitetur, continuo obſervet, ut honeſtè vivat, neminem malo exemplo offendat, non luxu diffluat, non otio torpeat, ſed vitæ integritate, & morum innocentiâ aliis prælucescat, perpetim memor iſtius CLAUDIANI:

Tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipſum
Authorem parere ſibi.

Nec vero illicium facilè reperias, quo efficacius plerunque homines trahuntur, quàm rationem honeſti in judice, cujus gradibus, etiam dum in terris agit, in cælum videtur aſcendere: Idcirco ipſi,

Non tàm quid liceat, quàm quid feciſſe decebit,
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.

Nam quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, &, ut generaliter dixerim, quæ contrà bonos mores fiunt, ea nec nos facere poſſe credendum eſt, inquit juſtitiæ verè cuſtos, rigiduſque ſatelles *Papinianus in l.* 1. *ff. de cond. & inſtit.* Ad hæc comis & affabilis, admixtâ quadam gravitatis temperie, ſit oportet, adeò ut ſeveritati hilaritas, gravitati ſimplicitas, majeſtati humanitas nihil detrahat, & ambiguum relinquat, venerari magis, an diligi mereatur:

Sit torva voluptas
Frontis, & auguſti majeſtas grata pudoris.

Ip-

Ipſa corporis figura, plena juſtitiæ, gravitatem ſpiret, comitatiſque ac majeſtatis imaginem quandam repræſentet, ut terribilis delinquentibus, manſuetus placidis ac devotus cenſeatur. *Nov.* 17. *cap.* 5. §. 3. ſeverus ſit, non ſævus; auſterus cum lepore ac ſale, non ferus aut ferreus.

CAP. IV.

De Officio Judicis in genere circà lites.

PRæmiſſis iis, quæ omnes omninò homines concernunt, inſtituti noſtri ordo poſtulat, ut de *Officio Iudicis* generali in terminandis litibus, paucis diſſeramus. Ante omnia verò judex conſiderabit, DEUM OPT. MAX. conſtituiſſe reges, principes, magiſtratus, dediſſe leges ac jura, ut diſſidenti populo jus reddant, cauſaſque ex æquo definiant; Priuſquam autem judicium accipitur, judex litigantium animos, propoſitis maximis multiplicibuſque litium incommodis, ad compoſitionem inflectere conabitur, negotioſas eſſe lites objiciet, periclitari amicitiam, & dilectionem mutuam divelli, tranquillitatemque animi perturbari, ſeriò enarrabit. quibus omnibus deterriti, ſi partes à lite deceſſerint, expedita res eſt: ſin verò poſt habitâ tam ſalutari dehortatione, experiundum ſibi duxerint, cauſæ merita diligenter expendet, ad in-

indagandam veritatem cuncta rimabitur, tandemque rationibus probè ſubductis, controverſiam ſententiâ ſuâ dirimet: Ut autem commodè eo perveniat, omnes privatos affectus exuere, & ante aram juſtitiæ deponere debet; quâ de re memorabile extat *S C*[tum] *apud Ratisbonenſes*, tabulæ marmoreæ his verbis inſculptum: *Quiſquis Senator Officii causâ Curiam ingrederis, ante hoc oſtium omnes privatos affectus abjicito, iram, invidiam, vim, odium, amicitiam, adulationem, Reip., perſonam & curas tuas ſubjicito, nam ut aliis æquus aut iniquus fueris, ita quoque* DEI *judicium ſubibis & ſuſtinebis* Quo laudabili effato, omnes qui de rebus dubiis conſultant, propius monentur, ut integris animis, & ab omni perturbatione liberis ad tribunal accedant, & æquè querelas pauperum, quàm ſpes ac vota divitum excipiant, ut omnibus & ſingulis æqui ſint & cenſeantur. Pulchrè *IC*[tus] *Marcianus in l.* II. *ff. de pœnis*, PERSPICIENDUM EST (inquit) JUDICANTI, NE QUID DURIUS AUT REMISSIUS CONSTITUATUR, QUAM CAUSA DEPOSCIT, NEC ENIM SEVERITATIS AUT CLEMENTIÆ GLORIA AFFECTANDA EST; SED PERPENSO JUDICIO, PRO UT QUÆQUE RES POSTULAT, STATUENDUM: Avaritiam porro, ceu malorum fontem ac fomitem, ex animo deteſtabitur, non populi decumas, nec civium cenſus turpi colludio diripiet, non in argenti pondere, ſed in argumenti gravitate vota ſua fundabit;

Honeſtum præferet utili,
Recuſans alto dona nocentium vultu.

Sor-

Sordida non capiet judex donaria, nec se
Pollicitis flecti muneribusve sinet.

Qui verò aliorsum hæc trahunt, & justitiam venalem circumferunt; ii meminerint, quòd æternis juxtà ac temporalibus pænis obnoxios sese reddant: *Væ*, inquit JEHOVA, *qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab ipso.* Et alibi, *Principes populi in muneribus judicabant, sacerdotes ejus in mercede docèbant, & prophetæ ejus in pecuniâ divinabant, propter hoc Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi acervus lapidum erit*; Iure civili variæ itidem in hanc rem pœnæ constitutæ sunt, SI QUIS, ait *Marcellus, in l. 1. ff. ad l. Iuliam. repet.* PECUNIAS IN MAGISTRATU, POTESTATE, CURATIONE, LEGATIONE, VEL QUO ALIO OFFICIO, MUNERE, MINISTERIOVE PUBLICO ACCEPERIT, TESTIMONIUM PUBLICE DICERE, AUT JUDEX ESSE, POSTULAREVE PROHIBETUR, & *in Auth. novo jure C. de pænâ judicis qui malè jud.* Imperator sancivit, ut ab eo qui accepit, vel promissionem suscepit, si causa pecuniaria sit, dati triplum, promissi duplum exigatur, dignitate ceu cingulo amisso: Si verò causa sit criminalis, confiscatis omnibus bonis in exilium mittatur. Sed his nequidquam obstantibus, justitiam nonnunquam vendi, & veritatem tenebroso cavillatoriæ argumentationis colore fuscari, nemò facilè iverit inficias. *Aurum* (inquit author quispiam) *in nonnullis tribunalibus præsidet, & velut Imperator quidam pragmaticæ sanctionis edicta promulgat, Aurum latet in occulto, & sententiam depromit in publi-*

co,

co, in ſudario anguſto concluditur, & deciſis negotiis judiciales calculos apponit: ſæpe quos cauſa condemnat, mendax pecunia juſtificat, quos autem conſcientia liberat, improba moneta damnat, nummus nempe momenta legibus tribuit, atque ad ſuum intellectum obſcuras ſententias, falſus interpretator, inflectit, nummus interdum cor judicum circà divites emollit, circà pauperes ad exercendum rigorem impellit, &, ut canit CACHERANUS:

Munera juſtitiæ libram moderantur, & ipſum
Munera jus ſtatuunt, deſtituuntque ſimul.

Et HORATIUS,

Æs laquei pretium.

Propterea *Thebani* ſimulachra judicum ſine manibus & oculis effigiabant, quibus innuebatur, juſtitiam donis & alloquiis non eſſe ſubjectam: quocircà judices qui cauſas audiunt, juſtè judicent, & tanquam ſacerdotes juſtitiæ, puriſſimum ejus cultum ſubditis ſuis proponant ac propinent, ne incidant in pœnas ſuprà relatas, & ne fortè, dum acquirunt pecuniam, perdant animam, nemò enim habet injuſtum lucrum, ſine juſto damno, *lucrum in arcâ, damnum in animâ.*

Veritatem quoque ſtudiosè ſectabitur, & totis viribus inſequetur, donec eam aſſequatur; quoniam verò in arduo eſt ejus exploratio, judicem oportet eſſe ſagacem, ſapientiâ & eruditione conſpicuum, ut fictas hominum inſidias & callidatates diſſipare,

Et merſum poſſit latebris educere verum.

Quas præcipuè qualitates in judice agnoſcens *Iethro*, conſuluit *Moſi*, ut ſeligeret de omni plebe viros ſapien-

pientes, timentes DEUM, & veraces, idque denotabat inſcriptio *Urim* & *Thummim*, hoc eſt luminum & perfectionum, in pectorali ſummi ſacerdotis; quod & *Ægypti* intenderunt, qui unum judicij præſidem conſtituebant; is ſignum aureâ catenâ, variis ornatum gemmis, à collo ſuſpenſum geſtabat, cum epigraphe, *Monilè Veritatis Iudicialis.* quia veritas ritè agnita, ad perfectionem ducit, dubioſque judicum animos in judicio firmat ac informat, ut diſcernere poſſint.

Vera quid à falſis, quid ab umbris lumina diſtent.

CAP. V.

De Jurejurando Judicum.

PRiſcis legis-latorum conſtitutionibus cautum eſt, omnes omninò judices ac Romani juris diſceptatores, non aliter litium primordium accipere, niſi præſtito prius, pro more, jure jurando, ſe judicaturos ſecundum leges, idque jure Codicis comprobatum eſt. *l.* 14. *C. de judiciis.* cæterum, ab hoc jure poſteà nonnihil receſſum eſſe videtur, nam *Irnerius*, *Authenticarum compilator* minus authenticus, putavit, judices hodiè tantum promittere, ſe ex animi ſui ſententiâ jus dicturos, exceptis defenſoribus civitatum; undè nonnulli interpretes colligunt, majoribus magiſtratibus remiſſum eſſe hoc jus jurandum: ſed hallucinantur, *Irnerius* enim perperàm authenticam, iis conceptam verbis, *ex Nov.* 8. deſumpſit,

quoniam in eâ magiſtratibus præſcribitur obſervantia æquitatis, quæ nihil aliud eſt, quàm obedientia legum, quarum vis ac poteſtas in æquitate conſiſtit, idque etiam ex conſtitutione *Nov.* 82. *c.* 1. planum fit. Quæ verò ſolemnitas circà hoc jusjurandum obſervanda ſit, apparet *ex d. l.* 14. nimirùm euangelia, quæ illic ſacro-ſanctæ ſcripturæ nuncupantur, antè ſedem judicialem deponi ſolita fuiſſe, iiſque religioſè à judice tactis, corporaliter jusjurandum præſtitum: Sed hæc ſolennitas hodiè non perindè obtinet, & pro cujuſque principis aut magiſtratus præſcripto, aliter atque aliter uſurpatur. In tribunalibus fæderati Belgii, elevatis duobus prioribus dextræ manus digitis, hoc ferè modo enuntiatur; *Iuro, me ſecundum jus Romanum, & ſtatuta Reip. jus dicturum, ita mihi propitius ſit omnipotens* DEUS.

Solemnitas jurisjurandi dicendi in jure Civili:

Quænam solemnitas jurisjurandi dicendi apud Belgas?

CAP. VI.

De in jus vocando.

EDictum de in jus vocando, eſt baſis ac fundamentum omnis judicii, idcircò circumſpecti judicis eſt, proſpicere, ne quid hac in parte peccetur, alioqui, quod ajunt, in portu naufragium facturus; hodiè verò juſſu judicis, per citationem expediri ſolet, quâ monetur adverſarius, ut ſe ſiſtat coram eo, qui jus dicturus eſt; deſideratur autem in delegato, ut tenorem ſuæ delegationis citationi inſerat, & generaliter in omni judice, ut nomina partium exprimat,

Quænam requirantur, ut Citatio sit valida?

mat, causam addat, locumque, diem, ac terminum judicii designet, & præcipuè, ne extrà limites jurisdictonis citationem emittat, gnarus, extrâ territorium jus dicenti, impunè non pareri, *l. fin. ff. de jurisd.* quo casu Curia nostra solet rescribere, *Nihil hic.* Hoc ita, nisi lite jam cum extraneo contestatâ, citatio fiat per literas requisitoriales, cui si non pareatur, bonus judex variè disponet. Deinde non sunt vocandi; qui vocari prohibentur, quales enumerantur in *l. 2. ff. de in jus vocando*; uti nec infantes, impuberes, furiosi, aut prodigi, sed eorum tutores & curatores, aut, si iis destituantur, proximi ex consanguineis, ut curatores constituant, vel, si id negligant, judex ipse dispiciet *l. 1. & 2. ff. qui petant tutores.* Puberes, si non habeant curatores, citandi sunt, ut legitimè compareant, & curatorem eligant, quod si refragentur, mulctâ indictâ cogendi sunt, vel ipsis etiam invitis dabitur, *l. 6. C. Qui petant tut. vel curat.* Parentes quoque absque præviâ prætoris veniâ citari nequeunt, *l. 3. & 4. ff. de in jus vocando.* Illa verò citatio, quæ publicè per campanam aut tubam, vel per edictum & affixionem literarum fit, non facilè est concedenda, & ab ordinario tantum judice, sive eo qui vice principis fungitur, decerni solet, ideòque sola Curia eam impertit, hâc ferè formulâ; *Fiat citatio per edictum, periculo petentis*; ut posteà integrum sit, propius de eâ cognoscere. Habet autem locum, si singula universitatis membra citanda sint, si adversarius impediat, quo minus citatio ipsi insinuetur, si locus non sit tutus, si creditores sint incerti, & si citandus sit

vagabundus, nuſpiam fixum habens domicilium; *l. 4. §. 6. ff. de damno infecto. l. 8. ff. Ad SCtum. Trebel. l. 6. C. de remiſſ. pig. Bart. in l. 2. C. de annali except.* In calce citationis relatio nuncij conſcribi ſolet, ut de ejuſdem legitimâ expeditione judici conſtare poſſit, cui relationi plena fides adhibetur, propter electam induſtriam perſonæ, & juramenti religionem, quâ judicio obſtrictus eſt, *l. 5. §. 13. ff. de rebus eorum qui ſub curâ ſunt, ſine decreto non alien.* Quod ſi reus propter abſentiam bis de contumaciâ fuerit accuſatus, actor à commiſſario ad Rotulam implorat veniam offerendi libelli, (*intendit vulgò vocant*) quam impetrat, obſervato in omnibus ſtylo & ordinatione Curiæ, quo ritè inſtructo, reus declaratur contumax, & ab omnibus defenſionibus ſibi competentibus removetur, & condemnatur in petitionem actoris, ſi ea in continenti probetur, ſin minus, fit interlocutio in factis: Interdum etiam in civilibus arreſtum decernitur, quod debitori arreſtantis eſt inſinuandum, eique dies dicendus, quo compareat, allegaturus juſtam arreſti relaxandi cauſam, ſi autem in morâ ſit, judex ex pecuniâ arreſtatâ ſolutionem imperabit; debitores quoque ſuſpecti de fugâ, vel copiam ſui facere detrectantes, authoritate judicis detineri poſſunt, qui rurſus dimittuntur ſub duplici cautione, judicio ſiſti, & judicatum ſolvi, teſte Clariſſ. D. IOANNE à SANDE, *lib. 1. Deciſ. tit. 17. defin. 1. & 2.* In criminalibus præviâ inquiſitione fiduciariâ, rei in carcerem impinguntur, ſi crimen ſit atrox, & corporalem pænam mereatur; *l. 1. ff. De cuſtodia & exhib. reorum*, ſin minus, Quæſtor cauſarum criminalium reis dicam

ſcri-

ſcribit, ut determinato tempore in foro juridico, ſive loco judicii adſint, quibus præſentibus (bis enim citati & abſentes carceri mancipantur) contendit, eos in cuſtodiam mittendos, atque ex carcere & vinculis cauſam defendendam eſſe; hic proceſſus, ad duplicam ritè inſtructus, ſenatui videndus traditur, qui à carcere & cuſtodiâ accuſatos plerumque abſolvit, datis fidejuſſoribus, ſe vocatos, ſub pænâ confeſſi & convicti, confeſtim adfore; ſi verò crimen intentatum ſit capitale, & reus fugâ ſibi conſuluerit, edicto evocatur, ut compareat & ſe purget, quod, ſi non fecerit, dimidia capitis redemtio, hoc eſt centum & quinquaginta carolini aurei ex ipſius bonis fiſco applicantur, juxtà ordinationem Friſiæ, enchiridio ſtatutorum inſertam, quæ, licet tantum loquatur de homicidâ fugitivo, idem tamen in aliis quoque facinoroſis, ſtatuendum ſentio; *quæ enim conveniunt in identitate rationis non ſunt ſeparanda in conſtitutione juris:* ſi verò intrà annum reverſi, ab accuſatione ſe purgaverint, aut mortui ſint, indictam mulctam recipient, juxtà. *l.* 1. *&* 2. *C. de requirendis reis.*

CAP. VII.

De videndo ante interlocutoriam proceſſu.

DE citatione legitimè decernendâ, proximè monuimus, nunc de videndo antè interlocutoriam

processu; & singulis ejusdem partibus, nonnulla dicemus; Inprimis autem judex inquiret, an partium advocati veste nuptiali, *hoc est*, legitimo mandato sint muniti, juxtà formam *l. 65. ff. de procurat.* alioqui talis processus retrò redderetur nullus, & sententia desuper lata, foret irrita; deinde libellum actoris, formam litis intentatæ continentem, diligenter examinabit, an causam justam ac honestam complectatur, an congrua sit conclusio, & propositæ actioni conveniens, an sit inepta, incerta, vel obscura, nam ex vitioso libello, & ineptâ conclusione, actor nihil obtinebit, imò judex talem libellum ex officio rejicere potest, & debet, *teste Baldo ad l. fin. C. de annali except.* secus erit, si in fine conclusionis hæc clausula adjecta sit, *petit actor omni meliori modo ac viâ, jus ac justitiam sibi administrari*; ea enim operatur, ut judex solam rei gestæ veritatem, quæ ex processu elicitur, non petitionem actoris respicere debeat; Ita sentiunt communiter Doctores, *Iason ad l. 24. C. de pactis, & alii diversis locis*; IACOBUS BOURICIUS, *avus meus, in tractat. de Officio Advocati, cap.* VIII. ratio est, quia actor per hanc clausulam judicem videtur interpellare, ut officium suum nobile impertiri velit: Quemadmodum autem libellus omni vitio carere debet, ita etiam responsio rei debet esse clara, certa & perspicua, litiscontestationem aptis & apertis verbis inducens, articulisque unum tantum factum complectentibus, distincta, similiter actoris replicatio, & ulteriores partium scripturæ, debent esse breves & succinctæ, non diffusæ, variisque rerum & verborum circumstantiis involutæ, ne nimiâ prolixitate judici te-

tenebras offundant; quibus ita dispositis, & processu ad conclusionem perducto, judex diligenter investigabit, an ritè instructus sit, & ex authenticis scripturis per amanuenses descriptus, an omnia requisita statuto Frisiæ, & ordinatione Curiæ comprehensa, adhibita sint, quo facto, si quæstio in jure consistat, litem definitivâ sententiâ terminabit, sin minus, partes ad probandum admittet, præfixo ipsis bimestri spatio; nisi sit causa criminalis vel matrimonialis, in quibus fit interlocutio, *in factis in formâ*, quia in iis plerumque de vitâ & existimatione liberi hominis, adeòque de re magni ponderis ac momenti agitur. Aliquandò etiam ante primam interlocutoriam Curia nostra articulos probatorios partibus exhibet (**poincten van Officie** vocantur) ad evitandos circuitus, & ut norint, quæ facta ad justificationem causæ probanda sint.

In Causa Criminali et Mattimoniali fit interlocutio in factis in forma;

CAP. VIII.

De juramento calumniæ, positionibus, & articulis probatoriis.

QUandoquidem sæpe usu venire solet, ut jurisjurandi religione, contentiosa litigantium instantia compescatur, ideò receptum est, judices non aliter causas audire posse, quam exacto à personis litigan-

gantibus jurejurando propter calumniam, quo actor profiteatur, ſe non calumniandi animo, ſed fiduciâ bonæ cauſæ litem adverſario ſuo intendiſſe, & reus viciſſim declaret, quod putans ſe bonâ inſtantiâ uti, ad reluctandum pervenerit, idque adeò neceſſarium eſt, ut ejus omiſſio vitiet proceſſum, *l.* 2. §. 4. *C. de jure jur. propter calumniam dando*, & quamvis partes hoc ſacramentum ſibi invicem remittere velint, (quod nonnunquam accidiſſe ſcio) tamen judex illud ex officio exigere debet, *ut ità lites non ſolum, verum etiam calumniatores minuantur, & Deum pro hominibus in omnibus cauſis judicem eſſe patefiat.* Pæna recuſantis, in actore eſt diſpendium litis, in reo, ut habeatur pro confeſſo *l.* 38. *D. de jurejurando.* An autem hoc jusjurandum per procuratorem præſtari poſſit? juris eſt non uſquequaque explorati; multi magni nominis Theologi & Iurisconſulti iſtum jurandi modum improbant, quos citat Clariſſ. *D.* IOANNES à SANDE, *libro* I. *Deciſ. tit.* 9. *Defin.* I. propter cauteriatas quorundam conſcientias; qui jurisjurandi religionem non venerantur, cum per alios jurant: cæterum hodiè in tribunalibus ubique ferè invaluit; Rectius tamen illud expediri dixerim, ſi mandatarius ad hoc ſpeciale habeat mandatum, cum expreſſione cauſæ, & recenſione capitulorum, quæ vera, aut falſa eſſe exiſtimet, quæ ſententia, licet uſu fori, & ſtylo Curiæ noſtræ non obtineat, nihilominus tamen magnam habet rationem, quia mandans magis erit ſollicitus de perjurio vitando, ſi non perfunctoriè tantum, ſed ex certâ ſcientiâ in animam ſuam jurari poſtulet: Hoc juramento utrimque à partibus præſtito, articu-

los

los principales, additionales & ſuper additionales (ulteriorer vix admittuntur) recipiet, & in reſponſionibus colligendis providebit, ut reſpondens purè per verbum credit, aut non credit, ad poſitiones reſpondeat, maximè, cum de proprio ſuo facto interrogatur, & ſi articuli ſint obſcuri aut captioſi, monebit rudes, ac doli neſcios, de vero ſenſu ac ſententiâ verborum, ne per inconſideratam confeſſionem (error enim non niſi ſtante judicio corrigi poteſt) damnum aliquod ſibi accerſant; quod ſi fecerit, conſcientiam DEO, hominibus fidem probabit.

CAP. IX.

De Teſtibus examinandis.

IN examinatione teſtium, in quâ nonnunquam cardo totius quæſtionis conſiſtit, judex procurabit, ut omnia bono ordine conficiantur: Itaque primum teſtes legitimè vocabit, eoſque feriò & cordatè monebit, ne quid contrà veritatem, vel propriam conſcientiam deponant, *alioqui divinas juxtà ac humanas pænas luituri*, ne pecuniâ muneribusque corrupti, ad dicendum teſtimonium accedant, nec ullo modo adduci ſe patiantur, ut quicquam committant, quod cum integritate hominis Chriſtiani, cum præſcripto legum, ac recepto Curiæ ſtylo pugnat; Silentium quoque ipſis commendabit antè jusjurandum præſtitum, ut teſtimonium ſuum clam aliis habeant, *ne labefactetur veritas, & fides teſtium enervetur.*

Teſtes vocati, ſi jusjurandum declinent, indictâ mulctâ cogi, imò in cuſtodiam mitti poſſunt, ſi præfractè obſiſtant, *l.* 3. *in fine ff. De Tab. exh.* ſi verò propter ignorantiam jurare recuſent, propius monendi ſunt, ſi propter religionem, ut Anabaptiſtæ, nequaquam excuſandi, quia jusjurandum religiosè præſtitum, calumniantium iniquitates plenius coërcere ſolet, adde, quod ferendi non ſint, qui ſpecioſo ſimplicitatis velo veritatem abſcondere, & ordinem judiciorum intervertere ſatagunt. Excipiuntur nonnulli, qui recenſentur *in l.* 4. *&* 8. *ff. de Teſtibus.* putà, ſenes ſeptuagenarii, valetudinarii, milites, &c. qui, ut teſtimonium inviti non perhibent, ita juramentum præſtare non coguntur.

De *Iudæis* hoc obiter notandum, quod tantum in cauſis *Iudæorum* admittantur, impoſitâ decalogo dextrâ, pronuntiantes hæc verba:

Non aſſumes nomen Domini in vanum.

Deinde ſecretò teſtes audiet, ne ſeſe mutuò inſtruant, & ex compoſito teſtimonium per colludium perhibeant, exemplo ſenum *Euangelicorum*, SUSANNAM ſtuprare conantium, qui falsò eam commiſſi adulterii accuſantes, à DANIELE *Prophetâ*, repetitâ ſeorſim quæſtione, mendacii convicti, pænas temeritatis ſuæ luerunt. Teſtes quoque interrogabit de ipſorum ætate, de qualitate, ſtatu, & domicilio, quem interrogandi modum eleganter proponit *Calliſtratus in l.* 3. *ff de Teſtibus. Ut judex propius definire poſſit, quouſque probandæ cuique rei ſufficiant*: Et generaliter;

Dum teſtes recipit judex, hæc cuncta notabit,

Au-

Auditus, Visus, Persona; Scientia, Causa,
Fama, Locus, Tempus certum, Responsio certa.

Singuli enim per sensum corporeum rationem dicti sui reddere tenentur *l. 2. ff. de Testibus.* & de rebus sibi cognitis perspicuè veritatem dicere, *l. 18. ff. eodem.* Ideò pars adversa contrà quam producuntur, interrogatoria plerunque proponit super circumstantiis ipsius negotii, & qualitate personarum, ut ad vacillationem, vel contrarietatem inducantur, *Maranta, parte sextâ de interrog. product. num.* 2. Formanda autem sunt ex ipsis articulis, *Gail. observ. 95. num. 5. lib.* 1. Et si superflua, impertinentia, aut captiosa sint, ea judex ex officio amputabit, *Albericus de Malet, in Tractatu de Testibus cap.* 18. *num* 10.

An autem interrogatoria parti articulos producenti communicanda sint? variant interpretes; multi id expedire putant, inter quos *Schurff. consilio 86. numero 2. cent. 2.* Ut pars contrà quam, confestim judici possit demonstrare, quæ impertinentia, aut captiosa esse existimet; Cæterum contrarium est verius, judex enim publicando interrogatoria, dat ansam instruendi & subornandi testes, ut ex composito ad ea respondeant, atque ita falsitas deprehendi nequeat, Ita *post Hostiensem & alios, tradit Pacianus, de Prob. cap. 65. num. 112. lib.* 1. Itaque satius fore arbitror, si partes post didicita testimonia, de admittendis vel rejiciendis interrogatoriis, coram judice experiantur. Interdum statim post litem contestatam testes audiri possunt, puta, si sint senes, valetudinarii, peregrè profecturi, adeò ut commodè semper haberi nequeant, & generaliter, quoties evidens æqui-

tas illud poſtulat; *Ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis caſibus ſubtrahatur.* Ex iisdem ferè cauſis teſtes ad perpetuam rei memoriam ante litis conteſtationem examinari poſſunt, eandemque vim & efficaciam habent tales probationes, quam habent ordinariæ; ſecus in criminalibus, quia earum cauſarum exactior cognitio eſſe debet, *l. fin. C. de Prob. Spec. de Officio omnium judicum §. poſtremo loco.* Actor, ſi hujuſmodi teſtes producere velit, intrà annum agere debet, ne nimiâ procraſtinatione lis fiat immortalis, Reus, propter incertitudinem movendæ ſibi controverſiæ, indiſtinctè eos ſiſtere poteſt. *l. 4. ff. Ad. l. Aquiliam. Gail. lib.* 1. *obſerv.* 92. *num.* 4. & 8.

Teſtes quoque die feriato examinari poſſunt, ſi neceſſitas hoc exigat.

Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus,
Fas & jura ſinunt.

Et ſpecialiter, propter cauſas his verſibus expreſſas.

Pax, ſcelus admiſſum, manumiſſio, res peritura,
Terminus expirans, mora teſtis adeſſe nolentis;
Hæc faciunt cauſas feſtis tractare diebus.

Idem de producendis inſtrumentis, quod ſuprà de teſtibus dictum eſt; reſponderi poteſt; quibus & illud addi, quod inſtrumenta uſque ad concluſionem in cauſâ recipiantur, factâ adverſario poteſtate, ea refutandi, ſi velit; quod in Camerâ Imperiali non obtinere, refert *Gayl. obſ.* 103. *num.* 15. *lib.* 1.

Teſtibus in hunc modum examinatis, tandem lapſo productionis termino, ſubſequitur concluſio in causâ, niſi aliquis partium eos velit reprobare, aut indu-

cias petere, ad ſuper inducendos ad huc alios, quæ induciæ non aliter, quam causâ cognitâ, & refuſis retardati proceſſus expenſis conceduntur, ideoque Curia noſtra plerunque reſcribit; *Fiat Requeſt. in judicio*; ut pars altera in contradictorio audiri poſſit. Si verò terminus peremptorius à judice non ſit præfinitus, quadrimeſtre partibus ad producendos, reprobandos, & ſalvandos teſtes præfigitur; quo elapſo, Commiſſarius audientiæ juridicæ, omnem ulterioris probationis ſpem præſcindit, & factâ interlocutione, os partibus claudit, ſalvo tamen mediocri temporis intervallo, quod pro re natâ longius, aut contractius præſcribere poteſt. Et ita habet noſtra praxis.

CAP. X.

De Oculari inſpectione.

USitatiſſimam in praxi ocularem eſſe inſpectionem & potiſſimam probationis partem, teſtatur *ICtus Ulpianus in l.* 8. *§. fin. ff. fin. regund.* eaque decernitur; vel ad inſtantiam partis, & tunc regulariter in termino probatorio exercetur, vel fit ex officio judicis, & ſic antè litiscontestationem, ut in novi operis nuntiatione, in causâ damni infecti, vulneris ac ventris inſpectionis, cum de imprægnatione aut virginitate dubiatur: vel (quandò periculum eſt in morâ) in quacunque parte judicii, nonnunquam etiam poſt ſententiam & in executione, ad informandum judi-

cem, & generaliter habet locum, quoties judicium magis, quam teſtimonium requiritur *l. fin. §. fin. C. de jure Dom. impetr.* In exercitio autem hujus Commiſſionis inprimis Commiſſario obſervandum eſt, ut partes litigantes, & teſtes, ſi hoc neceſſe ſit, in rem præſentem venire faciat, ut tenorem ſuæ Commiſſionis ipſis aperiat, & ſilentium ſeverè injungat, ne viſa & audita revelent, aut ſe mutuò informent; ut exactè omnia in ſcriptis redigat, agrorum ædiumque fines ritè demonſtrari procuret, & ut totum hoc Commiſſionis negotium ordine ac decenter procedat, adeòque poſt habitis etiam exceptionibus & proteſtationibus, in actu pergat, tandemque cauſam integram & intactam, ad ordinarium judicem referat ac remittat, qui viſis, lectis & perſpectis proceſſus partibus, ſententiam ferre, abſque inordinatâ dilatione tenebitur.

CAP. XI.

De Termino Iudiciis præfinito.

IUre Digeſtorum annalis erat expediendæ litis terminus, quem poſteà Imperator Iuſtinianus ulterius extendit, cauſaſque civiles triennio, criminales biennio decidendas præcepit *l.* 13. *C. de Iudiciis.* Movet dubium lex *fin. ff. de Feriis.* Ubi actori in civilibus una, in criminalibus duæ, reo tres dilationes conceduntur, adeòque criminalibus cauſis longius tempus præſtitutum videtur, quam civilibus; Reſpondent interpretes, quod aliud ſit, plures dilationes probatorias

rias

rias dari, aliud totum judicium magis protrahi; dicta *lex.* 13. loquitur de termino totius litis, lex finalis de dilationibus, adeòque de parte tantum judicii; quæ planè diversa sunt. Quantumvis autem termino distent hæc duo judicià, initio tamen conveniunt, utrumque enim à litis contestatione regulariter incipit *l. un. C. de Litiscont.* hinc, licet multi anni in præparatoriis judicii exfluxerint, illi tamen in computatione hujus termini non attenduntur: ita *Iason* & *Alex.* ad hanc legem. Cæterum exolevit hodie hoc *SC^tum.*, nullumque in tribunalibus statum tempus dirimendis litibus præfixum est, & usu ferè receptum, ut causæ ad definitivam novissimè instructæ, proximè terminentur; idque judex, si conscientiam suam sartam tectam, & ab omni sequiori suspicione liberam servare velit, sequi & observare debet.

CAP. XII.

De Sententiâ Definitivâ.

PEr sententiam definitivam res in judicium deductæ finem accipiunt, & ad eam audiendam partes citandæ sunt, alioqui erit nulla *l. 7. C. Quomodo & quando judex.* & si alterutra post conclusionem in causâ decesserit, idque ex judiciali allegatione judici liqueat, hæres ejus citabitur, *Gayl. lib.* 1. *observ.* 110. *num.* 3 *&* 4. Quod in Camerâ Imperiali non observari, refert idem *auth. observ.* 109. *num.* 3. Sed sufficit, quod semel legitimè & peremptoriè ad audiendam

cau-

causam vocentur. Consistit in condemnatione, vel absolutione, sive in totum, sive ex parte *l.* 3. *&* 4. *ff. de re judicatâ.* Ferenda est eo loco, quo more majorum jus solet reddi *l. pen. ff. de Iustitiâ & jure.* & sedente coram tribunali judice, publicè pronuntiari debet, quod jure Canonico præcisè requiritur.

Convenit ut sedeat judex, nec ab ordine cedat,
Cum pia pro Rostris jura daturus erit.

Sententia semel lata retractari nequit, nisi per restitutionem aut revisionem, Curia enim nostra appellationem non admittit, exemplo Præfecti Prætorio, *l. unicâ C. de sententiis Præfecti Prætorio.* Restitutioni non est locus, nisi ex falsis testimoniis aut instrumentis sententiam quis obtinuerit, aut evidens aliquis error in formâ aut materiâ ejusdem demonstrari possit; interim tamen executio sententiæ suspendi non debet. Nullitas quoque irritam eam reddit, puta, si à judice incompetente, aut directò contrà leges sit lata *l.* 2. *C. Quando provocare non est necesse.*

In judiciis singularibus, ut empti vendit. locat. conduct. mutui & similibus, certa quantitas exprimenda est, *l.* 3. *C. de sententiâ quæ sine certâ quantitate profertur.* In universalibus sufficit generalis adjudicatio, ut si ad reddendas rationes, ad restituendum gregem, vel hæreditatem agatur. In sententiis quæ pro eo quod interest proferuntur, judex sequetur regulam præscriptam *in l. unicâ C. de sentent. quæ pro eo quod interest proferuntur.* & in adjudicandis fructibus & expensis *l.* 3. *C. de Fructibus & litium expensis, junctâ Nov.* 82. *c.* 7.

CAP.

CAP. XIII.

De Executione Rei judicatæ.

LIte per Definitivam finita, ſuccedit legitima ejuſdem executio, in quâ perficiendâ, Commiſſarius antè omnia, traditis ſibi mandatis executorialibus, parti victæ denuntiabit, ut ſtatuto tempore ſeſe ſiſtat, eique inſinuabit, ut ſententiæ, in quantum liquidæ, intrà decendium ſatisfaciat, alias, intrà idem ſpatium cauſas oppoſitionis exhibeat. (Quæ denuntiatio à practicis ſummatio appellatur) quod, ſi fecerit, lis ſuo marte decurret, & quant' ocius terminabitur, quia proceſſus executivus eſt ſummarius, adeòque maturè expediendus, niſi judex vel delegatus, vi ſententiæ ex officio procedere poſſit, ut, ſi victor in poſſeſſionem hæreditatis, vel prædij alicujus, aut ex carboniano edicto, venter, aut impubes in poſſeſſionem mittendus ſit, *l.* 1. *ff. de Ventre in poſſeſſionem mittendo.*

Si verò in alieno territorio executio dirigenda eſt, judex ejus loci per literas requiſitoriales, ſive mutui compaſſus rogabitur, ut ſententiam ſecundum formam ſuam & tenorem executioni mandet. *l.* 15. §. 1. *ff. de re judic. & ibi Gothofredus in notis.* Idque propter favorem juſtitiæ, ubique ferè in tribunalibus Belgii, in uſu, & in viridi obſervantiâ eſt.

Exceptiones merita cauſæ concernentes, & quæ

 ſen-

ſententiam ipſam impugnant, uti, nullitatis, neglecti ordinis judiciarii, &c. Iudex à quo, non ad quem examinabit; de iis autem, quæ poſt ſententiam proponuntur, uti, ſolutione, compenſatione, & ſimilibus, judex requiſitus cognoſcet, ceſſante interim judicati executione, *l.* 1. *ff. de re Iudic. Gayl. lib. primo obſerv.* 113. *num.* 5. *& ſequentibus.* Vide *Oldendorpium, cap* 59. *de Except. D. Sandium, lib. primo, Deciſ. tit.* 12. *Defin.* 5. & Doctores ibi citatos.

CAP. XIV.

De Reviſione.

BEneficium Reviſionis adverſus ſententiam Curiæ definitivam, implorari ſolet, ſi cauſa quingentos aureos excedat, eaque intrà decendium opponenda eſt, quo ſubſecuto, ſententia non aliter executioni mandabitur, quam ſi victrix pars dignam fidejuſſionem præbuerit, tantum reſtituendi cum legitimis augmentis, quantum fuerit in condemnatione, ſi judiciali retractatione ſententia reſolvatur, aut ſi fidejuſſorem invenire nequeat, juratoriæ cautioni committitur; *Remittitur enim interdum cautionis neceſſitas propter egeſtatem, ne, dum executoris pertinax & avara protervitas extraneos & idoneos fidejuſſores flagitat, multiplex innoxiæ paupertati incommodum infligatur, l.* 33. *§.* 1. *C. de Epiſc.*

&

& Cler. Idem quoque ſentit *Guido Papæ in Deciſionibus ſuis.*

Si verò hac formulâ ſupplicatio non porrigatur, executio cauſæ ſine fidejuſſione procedet, reformationis jure illi ſervando, qui ſe gravatum putaverit, ut intrà biennium Curiæ ſupplicare poſſit.

Actor, tempore introducendæ reviſionis quinquaquinta Carolinos monetæ Belgicæ, in judicio conſignabit, in pænam Fiſco applicandam, ſi ſententia lata, juſta, & legibus conformis habita fuerit; ſed ſi alicubi in eâ erratum, peccatum, dormitatumve ſit, pecunia ſequeſtrata ei reſtituetur. Deinde cauſas gravaminum, & errores judicantium, vocatâ ad id parte adversâ, vivâ voce in foro juridico proponet, nullis inſuper novis proceſſui reviſionis additis documentis, vide *Rebuff. de ſupplicat. ſive errorum propoſit.* Reviſio utrimque ſemel duntaxat coram iiſdem judicibus intentari poteſt, *l. 5. C. de prec. Imper. offer.* Quo ſenſu verum eſt, reviſionem reviſionis non dari; *Credebant enim veteres, eos qui ob ſingularem induſtriam, exploratâ eorum fide & gravitate, ad ejus officii magnitudinem adhibentur, non aliter pro ſapientiâ ac luce dignitatis ſuæ judicaturos, quam ſecundum leges & conſtitutiones Populi Romani, l. 1. §. 1. ff. de Offic. præfect. prætor.* Secunda tamen reviſio à principe peti poteſt, maxumè, ſi priores ſententiæ non ſint uniformes, *Bart. in l. 1. C. ne liceat tertiò provocare, gloſſa fin. in l. 1. ff. de Off. præf. præt.* ratio eſt, *ne auxilium contrà injuriam & incuriam judicum denegetur; & ne contrà jus ſubditos gravari princeps pa-*

tiatur, *arg. l.* 1. *ff. de appell.* junctâ *l.* 1. *ff. de Injuriis.* Adde, *quod per errores judicum bona injustè acquiri non debeant*, *l.* 1. *ff. de condict. ob turpem causam.* Vide *Anthon. Theßaurum*, *dec.* 246. Dissentit *Paulus Christin. decis. belg. vol.* 1. *cap.* 12. *Guido Papæ decis.* 346. *Rebuff. in tract. de supplic. quæst.* 8. *num.* 48. *Georgius de Cabedo*, *pract. observ. decis.* 12. *num.* 27. & 29. In Frisiâ, sex judices prioribus adjunguntur, extranei tres, domestici totidem, qui causam ex integro audiunt, & collatis plurimorum votis, controversiam pronuntatione suâ definiunt.

CAP. XV.

De Diplomatis moratoriis, Beneficio inventarii, & Cessionis bonorum.

DIplomata moratoria, sive literæ quinquennales, debitoribus citrà culpam suam facultatibus lapsis, concedi solent, adhibitis solennitatibus de jure requisitis, vocatis, videlicet, omnibus creditoribus, & præstitâ sufficienti cautione, se finitis induciis æs alienum solutoros; quo facto, hæ literæ intrà mensem à die impetrationis in judicio exhibitæ, per interlocutionem Commissarii in audientiâ ju-

juridicâ intimantur: juxtà placitum *Caroli Quinti* ſtatutis noſtris inſertum.

Beneficium inventarii & ceſſionis bonorum, ſervatis quibuſdam formulis, Curia noſtra impertit; confecto, nimirum, inventario, datis fidejuſſoribus pro conſervatione bonorum, & interpoſito jurejurando, nihil uſpiam celatum, aut ex bonis hæreditariis ſubtractum; *ut ita hæres damni ſecurus, ſpem emolumenti retineat, & quicquid ſatisfactis creditoribus ſupereſt, ſibi reſervet. l. fin. C. de jure delib.*

Effectus diplomatis moratorii, & ceſſionis bonorum hic eſt, quod omnia currente quinquennio maneant in ſtatu, horrida præconis & executoris vox ſileat, & debitores in carcerem detrudi nequeant, *l.* 1. *C. de ceſſ. bon.* & ubi ad pinguiorem fortunam pervenerint, non teneantur in ſolidum, ſed in quantum facere poſſunt, *l.* 6. *&* 7. *ff. eodem.*

CAP. XVI.

De Officio Judicis in cauſis Criminalibus.

HActenus de Officio Iudicis in cauſis civilibus, reliquum eſt, ut de ejuſdem functione in criminalibus, paucis diſpiciamus: In iis autem judex cum induſtriâ & circumſpectione quadam procedet, quia vitam & exiſtimationem hominis concernunt,

Itaque crimen diligenter inveſtigabit, omnes circum ſtantias curiosè perpendet, nihilque intentatum relinquet, quo author criminis cognoſci, & deprehendi queat, quæ diligens & accurata inquiſitio cum emphaſi & verborum pondere commendatur, *Deuteronomij*, *cap.* 17. *verſ.* 4. *& ſeq.* CUM REPERTI FUERINT, INQUIT JEHOVA, APUD TE INTRA UNAM PORTARUM TUARUM, QUAS DOMINUS DEUS TUUS TIBI DATURUS EST, VIR AUT MULIER, QUI FACIAT MALUM IN CONSPECTU DOMINI DEI TUI, ET TRANSGREDIANTUR PACTUM ILLIUS, UT VADANT, ET SERVIANT DIIS ALIENIS, ET ADORENT EOS, FACIENTES EA QUÆ NON PRÆCEPI. IDQUE TIBI FUERIT NUNTIATUM, AUDIENSQUE INQUISIVERIS ANXIE, ET VERUM ESSE REPERERIS, ET ABOMINATIO FACTA EST IN ISRAEL, EDUCES VIRUM ET MULIEREM, QUI REM SCELERATISSIMAM PERPETRARUNT AD PORTAS CIVITATIS TUÆ, ET LAPIDIBUS OBRUENTUR: IN ORE DUORUM AUT TRIUM TESTIUM PERIBIT, QUI INTERFICIETUR; NEMO CONDEMNABITUR UNO DUNTAXAT CONTRA SE DICENTE TESTIMONIUM; MANUS TESTIVM CVM MANV POPVLI INTERFICIET EVM, VT AVTERAS MALVM DE MEDIO TVI.

Eamque methodum in requirendis & puniendis reis judicem ſequi oportet, quod ſanctus ille, & in omni patientiæ genere exercitatiſſimus *Iobus* feciſſe ſe teſtatur, cauſas nempe, quas non norat, penitius indagaſſe, idque exempla *Pilati* & *Feſti Præſidis*, abundè evincunt, *Iohan. cap.* 18. *verſ.* 29. *& ſeq. Act. cap.* 25. *verſ.* 16. *&* 17.

Si verò de crimine ejuſque authore non uſquequaque conſtet, ſed reus variis præſumptionibus gravetur, & veritas aliter inveniri non poſſit niſi per tormenta, quæſtionem habere licet; teſte *I^{cto.}*

Mar-

Marciano in l. 9. ff. de quæst. & ſi plura indicia violenta & indubitata concurrant, ea plenam probationem important, juxtà ſententiam *Franc. Brun. in tractatu de judiciis, quæſt.* 1. & *Ægidii Boſſi in pract. criminal. tit. de Delict. num.* 10. *&* 12. *Doct. ad l.* 5. *§.* 6. *ff. de re Mil.* eamque in judicando Senatus noſter ſequitur, ut refert Clariſſ. Vir *Ioannes à Sande*, in *Deciſ. ſuis, lib.* 5. *tit.* 9. *def.* 14. ubi caſum & deciſionem ſingularem hac de re proponit. Similiter quoque non ita pridem à Curiâ noſtrâ judicatum in causâ cujuſdam homicidæ, *Hagâ-Comitis* tranſmiſſi, qui in publicâ viâ nullo alio præſente (quod erat in confeſſo) paganum quendam, cum ipſo ambulantem, proditoriè trucidaverat.

Deinde reos ad defenſiones ſuas admittet, & neminem indictâ causâ condemnabit:

Dicet jus miſeris, primumque exaudiet illos.

Non enim veritatis ratio patitur, quemquam indefenſum damnari, *l.* 3. *C. de requir. Reis.* & lex divina neminem judicat, niſi prius ab ipſo audiverit, & cognoverit, quid faciat, *Ioh. cap.* 7. *ver.* 51.

Non ſemper in irrogandis pænis jus ſtrictum ſequetur, ſed habitâ circumſtantiarum ratione, aſperitatem legum, æquitate quadam mitigabit; ſecedet aliquid ab acri juſtitiæ ſole, non diſcedet, ignemque oleo non addet, ſed in levioribus delictis ad lenitatem ſupplicij inclinabit, in gravioribus autem ſeveritatem legum, cum quodam benignitatis temperamento ſubſequetur. *l.* 11. *ff. de pœnis, l.* 22. *C. eodem.* Pulchrè quondam poëtæ *Herculis* clavam oleo

oleo madidam finxerunt, innuere volentes, actus justitiæ quandoque oleo misericordiæ esse temperandos.

In ferendâ sententiâ decretoriâ lentè festinabit, gnarus, præcipitantiam esse novercam justitiæ, & rarò celeres, nisi forsan in scelere, esse felices.

In voto constans erit, nam subita & inconsiderata voluntatis mutatio, levitatem & debilitatem judicii designat. Absit tamen pertinacia, bonorum consiliorum remora, non enim prudentis est, in errore progredi, sed propter utilitatem publicam eum emendare, & quando judex consilium suum in melius reformat, non se mutat, sed potius aptat, haud secus ac manus, quæ cum in palmam extenditur, & cum in pugnum adstringitur, semper eadem est: Propterea si primâ statim consultatione centrum veritatis non tetigerit, melioribus sententiis accedet, maximè, si quid supervenerit, quod statum quæstionis immutet; nam nemò sanus, mutationem consilij in melius, inconstantiam dixerit, inquit latialis eloquii torrens *Cicero*, *lib*. 1. *de Offic.*

Post consultationem taciturnus, nihil enim magni sustinere potest, cui tacere grave est, ideòque consiliorum publicorum renuntiatores jure civili suspendio plectebantur, *l.* 35. §. 1. *ff. de Pænis.* Et *Ægyptij* illis linguas abscindebant, qui arcana senatus divulgaverant; Laudandus eo nomine *Cato*; qui publicè nec privatim ullum unquam verbum pronuntiasse dicitur, quod pronuntiatum doluit, Prædicanda Cameræ Spirensis constitutio, quæ omnia in Senatu dicta, gesta, judicata, perpetuo silentio

tio involvi, & nihil injussu Cæsaris revelari voluit. Non tamen hoc axioma catholicum est & universale, sed suas patitur exceptiones, multa enim in ordine senatorio peraguntur, quæ utiliter dici & commemorari possunt, si ad religionis ampliandæ studium, morum reformationem, & reip. tranquillitatem pertineant: Accusandi igitur illi Blaterones & locutulei, qui instar vasis rimarum pleni, hac illac perfluunt, & deliberationes cum publicè tum privatim habitas, temerè produnt, & obviis quibuscunque communicant, maximè iis, quæ in sinu eorum dormiunt, teste *Michâ cap. 7. vers. 6.* Accusandi quoque ebriosi, qui inconsultâ temeritate,

Arcanos produnt sensus, & operta recludunt.

qui à legitimo judicij tramite deflectentes, fanda ac infanda pleno impetu despumant, adeòque verum esse illud *Salomonis* proverbium ostendunt, *Nihil ibi esse occultum, ubi regnat ebrietas.* Propterea veteres ebrietatem non solum odio prosecuti sunt, sed etiam severè in ebriosos animadverterunt; Athenienses ex instituto solonis judices temulentos morte mulctarunt, *Plato* ipsis vino interdixit, Helvetij, fortissimi illi libertatis suæ defensores, Scto. eos proscripserunt: Et huc spectant leges Romanorum, *Famia*, *Orchia*, *Cornelia*, *Ancia*, *Iulia*, aliæque. Exterminanda igitur provinciâ & civitatibus ebrietas est, vitiorum omnium vorago ac gurges, scelerum & flagitiorum omnium mater, æternæ damnationis origo, humanæ vitæ venenum, quæ *Lotho* incestum cum propriis filiabus suasit, *Phocam* Pho-

cionis filium, *Albidium* adoleſcentem, *Vintherum* Merſburgenſem epiſcopum, *Michaëlem* orientis Imperatorem, & *Cleomenem* philoſophum mente, *Holophernem*, *Andebundum* Anglorum regem, & *Alexandrum magnum* vitâ privavit, quæ *Cyrum* totius propemodum terrarum orbis monarcham, & *Hannibalem* fortiſſimum belli ducem, cum totâ militum manu funditus delevit, quæ *Trojam*,

Quam neque Tydides, neque Lariſſæus Achilles;
Non anni domuere decem, non mille carinæ,

devicit, & in cineres favillaſque redegit. Arcendi proculà foro & tribunalibus ebrioſi, qui tanquam ſues in luto & cæno, in vino & fruſtis eſculentis ſe volutant, qui fætorem in ore, tremorem in corpore circumferunt, & quorum non ſolum conſortium, ſed etiam aſpectum, omnes boni fugiunt & averſantur: itaque

Cane pejus & angue,
Syrenum cantus, & Circe pocula judex,
Vitabit damnoſa bonus:

ut judiciorum auguſta ſedes, ebrietatis fæce ac ſordibus mundata purgataque, temperantiæ nitore illuſtretur.

CAP. XVII.

De Recuſat. judicum.

RE cuſari judices tam ordinarii qnam delegati ex juſtâ causâ poſſunt, ut lites ſine ſuſpicione tracten-

ctentur *l. ib. C. de judicijs.* si quis tamen temerè hoc intentet, & repulsam patiatur, arbitrariè punitur, imò infamià notatur, si suspiciones aliquam labem judici adspergant, ejusque famam sugillent. Recusationes judicum iisdem ferè regulis juris constant, quibus reprobationes testium, exceptis gradibus consanguinitatis & affinitatis, qui ad quartum usque gradum inclusivè, putà sobrinos, extenduntur, testes autem, exclusis tantum parentibus & liberis, in causis civilibus admittuntur.

Eadem hic ratio affinitatis, quæ consanguinitatis est, nisi quod affinitatis non dentur gradus. *l. 4. §. 5. ff. de grad. & adfin.* Ita uxoris meæ consobrinæ maritus, non est meus *affinis l. 4. §. 3. ff. eodem.* Extincta quoque per mortem affinitas non reviviscit; eas enim affinitates esse intelligimus quæ nunc sunt, non quæ antè fuerunt inquit *Ictus* in *l. 3. ff. de postul.* contrarium tamen à curià nostrâ per errorem sæpius definitum memini.

Atque hic tractatus nostri finis esto; in quo boni judicis officium obiter & perfunctoriè delineasse, & levi (quod ajunt) penicillo adumbrasse sufficiat:

Faxit Deus Opt. Max. justitiæ & judiciorum stator ac vindex, ut ejusmodi judices in ordinem senatorium adsciscantur, qui pietate, justitiâ, & eruditione conspicui, consilia sua ad divini nominis gloriam, Reip. salutem, & bonorum omnium commodum dirigant ac convertant. AMEN.

Praxis Cancellariæ,

SIVE

Canones Curiales.

Cum ASTERISCIS in margine,

Desuetudinem quorundam denotantibus.

SEnator Curiæ sit honestæ vitæ, Itus, & Laureâ doctorali decoratus.

Senator Apostolicæ reformatæ religionis professor sit ac propugnator, aliàs non feratur.

Frisius, in promotione ad hunc ordinem, extraneo præferatur, si sit idoneus, sin minus, peregrinus assumatur.

Senatores decorè vestiantur, tales quoque moribus sese ostendant.

Senator, totus suæ functioni incumbat, neque ex professo alijs negotijs, putà mercaturæ, aut politicis advocationibus sese immisceat, præterquam in causis proprijs, proximorum, & affinium, quibus etiam consilio adesse non prohibetur.

In congressu senatus omnes Senatores simul conveniant.

Ab-

Absentes rationem absentiæ reddant. *

Qui diutius sine veniâ absuerit, stipendium ei suum detrahatur, & inter præsentes distribuatur. *

Pluribus eodem tempore quam quatuor, venia absentiæ non detur. *

Consultationes conclave non egrediantur, qui secus faxit, reprehendatur: *

In senatu ordine quisque suo considеat. Idem quoque in referendo & rogandis sententijs ordo servetur. *

Quisquis causas sibi commissas maturè non expedit, ignavus habeatur.

Causæ privilegiatæ, uti pauperum & miserabilium personarum præ cæteris referantur.

Item Senatorum, remissionis ad ordinarium judicem, impugnationis formalium appellationis, attentatorum, spolij, rerum corruptioni obnoxiarum, tertiæ & quartæ dilationis ad probandum, mandatorum pænalium, petitionis alimentorum, liquidationis & executionis sententiarum, leg. diffamari, petitionis tutorum vel curatorum, missionis ex edicto Divi Hadriani in possessionem, novi operis nuntiationis, damni infecti, & simil.

Causæ novissimè ad definitivam instructæ, proximè terminentur.

Senatores ad vota singulorum sint attenti, nec sibi invicem obstrepant, impediant, aut interloquantur:

Senatores non ex arbitratu suo, & ex privatâ conscientiâ; sed secundum jus scriptum, leges, constitutiones & consuetudines Frisiæ jus dicant.

Singulis relationibus diffinitivarum Senatores ad minus octo, interlocutoriarum quatuor, supplicationum tres intersint.

In gravibus dubiisque causis plures, vel omnes adhibeantur:

Si votis & opinionibus discrepent, per plura concludatur, vel si hoc integrum videatur, causæ merita brevibus repetantur & discutiantur.

Singulares & obstinati, in opinionibus suis non audiantur.

Causa semel discussa, non amplius in disquisitionem vocetur, & si hoc contingat, brevitati studeatur.

Expensæ litis per primicerium ordinis Senatorij taxentur.

Idem quoque in liquidandis fructibus & usuris jus esto.

Commissarius audientiæ juridicæ supplicationes expediat.

In causis momentaneis, & quæ moram non patiuntur, de plano disponat.

De

De Procuratore Fiſci.

PRocurator Fiſci ſit vir honeſtus, Chriſtianæ reformatæ religionis antiſtes & vindex, Iure Conſultus, & ad functionem ſuam probè exornandam aptus, habilis, ac idoneus.

Procurator Fiſci ante alios omnes audiatur.

Solis cauſis fiſcalibus vacet.

Advocatus Fisci procuratoris impediti munus obeat.

Procurator Fiſci nulli litem intentet, aut quæſtionem ſtatus moveat, niſi implorato prius Curiæ mandato.

Proceſſus fiſcales ex emolumentis & mulctis fiſcalibus ſolvantur.

Ratio accepti & expenſi in fiſcalibus quotannis reddatur.

De Graphiario Curiæ.

GRaphiarius ipse munus sibi demandatum sedulò observet, necessitate valetudinis non impeditus.

In Cancellariâ sententias Curiæ extendat, supplicationum decretis subscribat, literas Curiales concipiat, easque maturius expediat.

Graphiarius vota & sententias Senatorum accuratè consignet.

Tres libros seu prothocolla habeat: sententiarum, decretorum, & recessuum.

Senatorum absentiam annotet.

Actus judiciales per amanuensem in rotulâ exactè conscribi curet.

Prothocollum mox post finitam audientiam perspiciat.

Errata, quæ in concipiendis sententiarum dictis animadvertit, modestè judici significet.

Votis & sententiis Senatorum nequaquam obloquatur.

Pe-

Pecunia in Curiâ depositâ, cistæ includatur, & in archivo aſservetur, quatuor clavibus aperienda, quarum una Commiſſario audientiæ juridicæ, altera primicerio ordinis ſenatorij, tertia Graphiario, & quarta adminiſtratori cancellariæ concredatur.

De Advocatis.

ADvocati ſint Iuris Doctores.

In cauſis ſibi commiſſis, Advocati ſimul & procuratoris partibus fungantur.

Advocati extrà Curiam, coram ſubalternis ſubſellijs non poſtulent, neve arbitratores ſeſe præbeant.

Cauſas ſibi concreditas abſque conſenſu partium alijs non committant.

Pauperum controverſias æquè diligenter ac divitum tractent.

Advocatus in judicio, aut caveat, aut de mandato ſibi proſpiciat.

Mandatum antè litis conteſtationem exhibeatur.

Ratihabitio antè concluſionem in cauſâ proferatur.

Deprehensus in morâ, expensas litis de suo præstet.

Advocati & procuratores in audientiâ juridicâ sint attenti.

A jocis, garrulitate & dicterijs abstineant.

Advocati præfatis paucis, merita causarum scriptis comprehendant.

Advocatus alter alteri non obstrepat, nec sermonem interrumpat.

Antigraphi ex cancellariâ sumantur.

Pauperibus illi gratis dentur.

Advocati quæ in cancellariâ scribi jusserunt, ipsi luant.

Pecuniam cancellariæ debitam non retineant.

Advocati & procuratores, taxatione primi Senatoris contenti sint, aut si gravatos se putent, reauditionis remedium implorent.

Litigantes desuper non gravent.

De quotâ litis cum iis non paciscantur.

Indebitè accepta restituant.

Processus, non ex prolixitate, sed diligentiâ & labore metiantur, ijsque honorarium inscribant.

Superfluorum actuum nulla habeatur ratio.

Advocati in qualibet causâ quid receperint, juxtà taxationem, judici in schedâ ostendant.

De Secretario, Ingrossistis, & alijs juratis Cancellariæ personis.

SEcretarius & Ingrossistæ jussa graphiarij promptè exequantur.

Secretarius, processus, sententias definitivas, & interlocutorias diligenti curâ custodiat, easque actis inscribat.

Idem quoque in taxationibus ædificiorum rusticorum fiat.

Secretarius ſolis cancellariæ ſuppoſitis archivum intrare permittat.

Secretarius inſtrumenta originalia, in cancellariâ, ſolus authentica reddat.

Ingroſſiſtæ gradatim promoveantur.

Acta ſibi commiſſa in tempore expediant.

Proceſſus, prærogativam habentes, antè alios omnes deſcribant.

Aſtu doliſvè emungendæ à partibus pecuniæ non utantur.

Accenſus cancellariæ procurabit, ut fores in tempore aperiantur & occludantur, & ad omnia officia cancellariæ paratus ſit.

Accenſus cancellariæ ſenatorum juſſa fideliter exequatur.

Conſilij & relationum tempore conclave non ingrediatur.

Si quid ibi negotij habeat, ſupplicationes, vel quid aliud exhibiturus, pulſet.

In audientiâ juridicâ ſilentium imperet, fores apertos

tos servet, producta excipiat, & Advocatis porrigat.

Nemo in nuncium curiæ assumatur, nisi sit probatæ fidei, & vitæ integræ.

Relationibus nunciorum fides adhibeatur.

Suis sumptibus negotià sibi commissa expediant, suisque expensis vivant.

Suas quisque relationes scribere calleat.

Nemo nunciorum se præbeat difficilem, quovis in suo ordine proficiscendi.

Expeditus ad iter sit nuncius, quem ordo contingit, neque profectionem suam ad diem unum, nisi ex gravi causâ, & permissu curiæ differat.

Proximus in ordine proficiscendi, in cancellariâ præsto sit.

Æqualitas & ordo in distribuendis citationibus servetur.

Nuncij moderati sint, etiamsi quæ immoderatiora, in exequendis negotijs ipsis contingant, modestè tamen respondeant.

Nuncij ordinariâ mercede ac salario sint contenti.

Tabularij sive nuncij insinuationes suas ipsi personæ, si ad eam pateat aditus, ostendant & exhibeant. Alias ejusdem domesticis eas prælegant, & antigraphum tradant.

Insinuationum suarum fide dignam relationem faciant.

Executores sententiarum curialium, receptis literis executorialibus, ad domicilium victi & per sententiam condemnati se conferant, diligenter de eo inquirant, cujus si detur copia, literas supra scriptas ei porrigant, & ut sententiæ intrà decendium satisfaciat, insinuent.

Si copia ipsius personæ condemnatæ haberi nequeat, uxori vel alij ex familiâ, modo grandiori, præfatas literas, aut earum copiam tradant, cum mandato, ut quamprimum patrifamilias ostendantur.

Si nemo ex familiâ eas accipere velit, relinquent in domicilio & loco executionis, præsente uno saltem de familiâ.

Si fores aperiantur, & nemo prodeat, convocato uno vel duobus vicinis, literas executoriales ædibus affigant.

Si aliquem domi esse, nec tamen aperire velle cognoverint, eas ostio, vel fenestræ, alijve loco annectant, atque ita recedant.

Re-

Relationem omnium exactam faciant.

Si adversus communitatem executoriales emanarint, duplicatas earum ejusdem communitatis curiæ, si qua sit, tradant, alioquin parochialis Ecclesiæ valvis, sive loco publico affigant.

Totius rei gestæ seriem relatione suâ complectantur.

Executione non ritè factâ, præter pænam arbitrariam, eandem suis expensis resumant ac reiterent.

In cæteris functionis suæ partibus ac membris, ordinationem & statuta Frisiæ ad unguem observent.



Elenchus Capitum
HUJUS
TRACTATUS.

FINIS.

CALLISTRATUS,

In l. 19. ff. de Off. Præsidis.

OBſervandum eſt jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur, unde mandatis adiicitur, ne præſides provinciarum in interiorem familiaritatem provinciales admittant. Nam ex converſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur. Sed & in cognoſcendo neq; excandeſcere adverſus eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum illacrymari oportet, id enim non eſt conſtantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit: & ſummatim ita jus reddet, ut auctoritatem dignitatis, ingenio ſuo augeat.

Errata, quæ per incuriam Typothetæ irrepſerunt, ſic corrige.

Pag. 4. *pro* venerari, *lege* ſuſpici. Pag. 6 *pro* fureis, *lege* fueris. Pag. 21. *pro* dubiatur: *lege* dubitatur. Pag. 23. *pro* exffluxerunt, *lege* effluxerunt. Pag. 35. *pro* ib. *lege* 14.

